



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 14. Pij V. de Aede Lauret. testimonium, & eius ornandæ cura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Pij Quinti de Lauretana Aede testimonium, & Roberti Saxatelli, illo Pont. opera.

Cap. XIII.

*Anna. Lau-
rier.*

*Pij V. testi-
monium.*

*Robert. Sa-
xatellus.*

Pius Quintus inde Pontificatum excepit, cuius incly-
ta omnibus in rebus pietas in D. Mariæ Lauretanae
cultu satis enituit. Nihil quippe illi antiquius fuit, quam
vt eam suo aliquo munere insignem faceret. Proinde
inter primum Pontificatus sui rudimentum, illustre in
suo monumento testimonium Aedi Lauretanae dedit.
Nam cereos agnos de more consecraturus, effigiem
Domus Lauretanae Angelorum humeris vectae multis
eorum imprimendam curauit, cum hoc titulo.
VERE DOMVS FLORIDA. QVAE FVIT
IN NAZARETH. Quod quidem talis, tantique
Pontificis testimonium eo nobilius censendum, quo plu-
res orbis Christiani partes cum sacrorum agnorum imagi-
nibus peragrauit. Neque eo contentus Pontifex, Cardi-
nali Vrbinati Aedis Lauretanae tutelam impensius com-
mendauit monito, nihil vt omnino praetermitteret, quod
ad eam ornandam, augendamque pertinere existimaret.
Itaque optimus Cardinalis ad id sua sponte pronus, impel-
lente Pontifice, in eam curam totus incubuit. Iam Pallante-
rij successor Io: Baptista Maremontius semestris Praeses
procuracione Lauretana, Vbaldus deinceps Venturellus
paucis mensibus etiam vita excefferat. Cardinalis itaque
Vrbinas pari animi magnitudine, ac pietate mandata
Pij Pont. facessens, Robertum Saxatellum virum manu,
& consilio promptum Laureto praefecit cum summa pote-
state. Nec egregia Saxatelli industria Cardinalem, aut
Pontificem frustrata est. Illo authore, ad augendam Laure-
tani templi maiestatem, sacerdotum, Canonicorumque
delectus habitus: eximijs vndique cantoribus ingenti pre-
tio

tio accitis, symphoniacorum chorus nulli secundus institutus: sacra supellectile aucta, tabulis pulcherrime pictis, peripetasmatis comparatis nitor altaribus, templo splendor additus. Illa autem præcipua augustissimæ cellæ ornamenta. Sibyllarum signa duodecim è Ligustico marmore pulcherrime facta, & in suis loculamentis disposita: quatuor insuper æneæ valvæ ianuis impositæ mirabili opere cælata, Hieronymi Lombardi nobilis illa ætate statuarij, & fictoris manu. His accesserunt bina Principum Apostolorum simulacra ex argento sesquicubitalia, præclara arte perfecta, præcipuis diebus festis ornamento altaribus futura. Quin etiam Sanctissimæ Eucharistiæ honeste, ac decore ad ægros deferendæ, mortuis rite sepeliendis, Nominis Iesu, & Mariæ religioni tuendæ, sodalitates quatuor institutæ, Corporis Christi, Misericordiæ, Nominis Iesu, Rosarijque B. Virginis. Et suum, cuique sacellum cum sacra supellectili, suus ad conueniendum locus, suæ leges datæ. Quibus sodalitatibus ingens sane, & Lauretano populo commodum, & templo decus accessit. Nec templi finibus Saxatelli se tenuit cura. Publicam bibliothecam cuiusque generis libris instruxit. Noxijs nemoribus, quæ supererant excisis, circumiacentes lacunas penitus exsiccauit. Submotoque Musionis fluuij menia subterlabentis alueo, Lauretanam habitationem lōge salubriorem fecit. Inde vt peregrinis Lauretum petentibus liber, & expeditus vndique pateret accessus, vias omnes, quæ Lauretum ferunt, iam longo vsu vitiatas, atque corruptas partim laterculo, partim glarea strauit. Quamquam horum pleraque Pio V. Pontifice inchoata opera, Gregorio XIII. deinde perfecta. Nauigium quoque ingens subuehēdis è Dalmatia ingentibus saxorum globis, ad Lauretanæ ædificationis vsum, Saxatellus ædificauit: magnamq. saxorum vim Lauretum subuehendā curauit. Hisce lapidibus à Ioanne Boccacino architecto haud ignobili, præclara Basilicæ Lauretanæ facies antiquo opere strui cœpta.

Sibyllarum
signa xii.

Æneæ val-
uæ quatuor
Binæ Apo-
stolorum si-
mulacra.

Domus